

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri  
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta  
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Filii Zebedei.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

**a** mortuis ad eos fuerit profectus, facilius vitam corrigent. *A.* Si Mosem & Vates non audiunt, ne ei quidem, qui revixerit, obtemperaturi sunt.

### SENTENTIA.

*Inclementes inclementer punientur. Qualem si quisque alteri præbuerit, talem in se experietur Deum. Impiorum sera penitentia. Beati qui plorant, nam consolatione affidentur. Vœ gaudensibus, dalebunt enim: nam rerum vicissitudo est. Qui sancta doctrina ad sanitatem non revocatur, desperandus est.*

### FILII ZEBEDEI. Matth. 20. Marc. 10.

#### ARGUMENTVM.

Jesus Jacobo & Joanni regnum petentibus, crucem proponit.

*Mater Iacobi & Ioannis, Jesus, Iacobus & Ioannes.*

**M**agister, volebant quiddam a te petere h̄i mei duo filii. *Ie.* Quidnam id est? *Ia.* Ut tibi, cum splendorem & imperium fueris adeptus, alter dexter, alter sinister assideamus. *Ie.* Nescitis quid petatis. Potestis ne idem mecum poculum ebibere, eademque lotione ablui? *Ia.* Possumus. *Ie.* Meum quidem poculum bibetis, meaque lotione lavabimini: sed ut mihi dextra lœvabitini: sed ut mihi dextra lœvaque assideatur, non est meum dare, nisi eis, quibus id paratum est a patre meo.

SEN-

## SENTENTIA.

*Ad regnum Dei non nisi per crucem venietur:  
Et tamen non hominis meritum, sed Dei donum est.*

VINITORES. Matth. 21. Marc. 11.  
Luc. 20.

## ARGUMENTVM.

Jesus a Pontificibus & Scribis & Senioribus de autore suæ potestatis interrogatus, ipso vicissim de autore lotionis Joannis interrogat. Deinde per similitudines eis futurum prædictit, ut propter se repudiatum, regno priventur.

*Pontifices, & Scribæ, & Seniores, Iesus.*

**D**ic nobis, ex cuius autoritate ista facias, & quis tibi dederit, ut tantum posses? *Ie.* <sup>a)</sup> *Ego* vicissim vos quiddam rogabo, de quo si mihi responderitis, dicam vobis, ex cuius autoritate hæc faciam. Lotio Joannis unde erat? a cœlo ne, an ab hominibus. *Po.* Si a cœlo dicimus, dicet: Cur ergo ei non credidistis? Si ab hominibus, periculum est, ne universus nos populus lapidet: omnes enim Joannem habent pro Vate. Negeamus, scire nos. *Age, nescimus.* *Ie.* Ego quoque non dicam vobis, qua hæc autoritate faciam. Sed quid censetis? Habebat quidam duos natos, quorum priorem aggressus est his verbis: *Nate,* *abi ad faciendum opus hodie in vinea mea.* Cui ille:

R 4

<sup>a)</sup> Christus callidos prudenter capit.

